

cet contradictionem. Cujus insistent viam Calviniani & Sociniani : clara certè vox est Ostorodi: *nihil verum esse, nihil DEUM posse, quod sit contra rationem.* Si hoc, omnia fanè proscribenda prorsus ac eliminanda forent mysteria, quæ dicuntur à plurimis contra rationem, licet potius sint supra rationem. Magis piè suò censuit tempore antiquissimus Patrum Justinus Martyr: & ἡ γὰρ τῶν ἡμετέρας ἐνθυμήμασι μελεῖν ἔστι τὰ ἔργα, ὡς ἐν ὕμνῳ γὰρ καὶ αἰσθησὶν καὶ λόγον τῶν ἔργων,

§. 10.

Bonitatem jam dum à multis retrò seculis infestârunt non pauci. Plutarchus tradit Zoroastrem, Nini æqualem, duo sibi confinxisse Principia, alterum Boni, quod Orimasden, Mali alterum; quod Arimoniam vocavit, illud luci, hoc caligini comparans. Similem tenuisse opinionem Ægyptios, & quosdam Græcorum Philosophos, Pythagoram, Empedoclem, ipsumque etiam Platonem, idem autor est. Portentosum dogma è cinere denuò sufflavit III. post CHRISTUM natum ævò Manes, delirans, duo esse summa Entia, DEUM & Materiam, illum Lucem, istam tenebras, harumque principem quendam nomine Saclam; mundum esse ex utrôque compactum: quamobrem à multis rebus suos abstinere jussit tanquam à malo Deo profectis, vino, lacte, ovis, maectatisque omnibus, deficiente vitâ, nihil amplius boni superesse in corpore, arbitrans; animas substantiæ divinæ partes esse, tenebris colligatas, peccatum è materia propullulare, imò ipsam esse materiam, ideoque necessitate quâdam non liberâ voluntate committi, hominesque veluti purgari, quoties peccent, malitiâ scilicet commixtâ ab illis effluente: animas morientes resurgere, corpus minimè, cum nihil materiæ, utpote malum, salute dignum illis videretur: Vetus Testamentum, ceu Spiritus tenebrofi inventum, prorsus abominabatur, lege totâ, nuptiis, magistratû, bellis, fontium suppliciis tanquam à malo Deo ortum trahentibus, penitens repudiatis. Jam antea sec. II. talia somniaverat Valentinus ejusque sodalis Marcion, multa rerum